

Johann Fecht Johann Cramer

Disputatio De Fructibus Iustitiae, Per Christum Jesum in Laudem & Gloriam Dei Factis : Ex Philipp. I. V. 11

Rostochi[i]: Weplingius, 1700


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742253287>


Druck Freier  Zugang



RU theol. 10.Dez. 1700

Fechtius, Joh.





DISPUTATIO
DE
FRUCTIBUS
JUSTITIÆ,
PER CHRISTUM
JESUM IN LAU-
DEM & GLORIAM
DEI FACTIS

EX PHILIPP. I. V. II.

QVAM

DUCTU VENERANDI DOCTORIS SUI

D. JOHANNIS FECHTII,

SS. THEOL. D. ET PROF. ORD. CONSIST. DUCAL.
ADSESS. ET DISTRICT. ROSTOCH. SUPERINT.

Conscriptam,

Sub eius PRÆSIDIO

Publico placidoq; colloquio exponit

AD DIEM X. Dec.

IN AUDITORIO MAJORI

JOHANNES CRAMERUS

BILFELDA-WESTPHALUS,

AUTOR

RostochI, Typis JOH. WEPPLINGI, Univ. Typogr. AO. 1700.

DISPUTATIO
DE
FRUCTIBUS
IUSTITIAE
PER CHRISTUM
JESUM IN LAM-
DEM & GLORIAM
DEI FACTIS
EX PHILIPPO
DUCU VENERANDI DOCTORIS SUI
D. JOHANNIS RECHTLE
SS. THEOL. D. ET PROF. ORD. CANTU. DUCAL.
ADRESS. ET PASTOR. ROSTOCH. SUPERINT.
CONGRUENT.
SUB CURA PRAESIDIJ
Publico haec in officio ex-
to die 2. Dec.
IN AEDIFICIO MAJORI
JOHANNES CRAMERUS
BIBLIOPOLUS



I. S. N. J.
PROCOEMIUM.



Erquam jucunda homini vere-
pio & Christianarum virtutum stu-
dioſo eſt illa comparatio, quã juſtitia
probitatiſq; cultorem deſcribit princi-
pio Pſalterii ſui plenus Divino Spiritu
David, cum inquit: *Ille eſt ſicut arbor,
plantata ad rivos aquarum, quæ fructum
edie in tempore ſuo & cuſus folium non
decidit; ideo quicquid faciet proſperabi-
tur.* Quæ ipſa comparatio nonnun-
quam etiam ad arborum ſpecies de-
ſcendendo magna cum ἐμφαſί ali-
bi repetitur. Pſalm. XCII. 13. Jer. XVII. 8. Joh. XV. 1. Intelligit
autem Iſaides per hanc arborem non lignum aridum aut ſterilem
qvandam arborem, licet vocabulum in Hebraico textu lignum no-
tet tam aridum quam viride & fructum ferens, ſed in ſpecie ar-
borem frugiferam, quod deſcriptione ſequenti indicatur. Nimi-
rum quod arboris hujus folium non decidat. Qvales arbores ſunt
olea & palmi, quæ folia non amittunt. Nec internam tantum
arboris bonitatem, ſed & ſuccum exterius ei affluentem prædicat
David. Magnam arbori parit commoditatem, ſi ad rivos ſit poſita,
præſertim in ſecioribus orientalium terris, ubi facilius ſucco pri-
vatur ſolum æſtu ſolis & hinc areſcunt arbores. Ita & pii, ne are-
ſcant, plantati ſunt ad rivos aquarum. Rivi autem illi ſunt fluen-
ta gratiæ Divinæ, Spiritus S. verbi, Sacramentorum. Ex hiſce
rivis perpetuus ſubminiſtratur ſuccus atqve vigor pio contra æſtum
crucis & iræ & calamitatum. Multis enim calamitatibus pius ſubje-
ctus eſt, quoniam e miſero peccati deſerto in amœnam Eccleſiæ
paradiſum transplantatur, in quã à Satana aliisq; hoſtibus ſæpiſſime
& tentatur & affligitur. Talis arbor, quæ non ſterilis eſt, nudisve
ſaltem luxuriat frondibus, tempore debito, autumnali vel æſtivo,
large producit ſuos fructus, ita & pii, tanquam bonæ arbores, bo-
nis ſe commendant fructibus, non contenti ſolo cogitationis ger-
mine

mine, vel boni propositi flore, vel verborum foliis, ut *Hugo* loquitur, sed ipsimet omnis generis turgent fructibus. Fructus vero priorum describit *Divus Paulus* in Epist. ad Gal. V. 2. seqq. *Fructus vero Spiritus est, amor, gaudium, pax, patientia & ceteri.* Hi fructus in tempore eduntur. Impii quoque nonnunquam ferunt fructus, ast hi sunt vel immaturi vel putridi citoque pereuntes; pii vero fructus proferant tuos tempore opportuno; quod indicat vox Chaldaica מְבִשִׁיל, quod idem est ac: *cogit* pius seu maturat in tempore suo. In tempore, scilicet opportunitate vera, ubi proferenda patientia, exercenda charitas, comprobanda fides. Hujus arboris folium non decidit. Defluxus enim foliorum est indicium calamitatis. Ita pii semper virent in ipsissimis calamitatibus, optimarum quaremlibet virtutum folia vel conservantes vel de novo protrudentes: cuius virtutis causa est, quoniam benedictio Divinae gratiae largitur hanc tam probitatis quam fortunati status gloriam; ideo quicquid faciet, prosperabitur. Quae verba utrum simul ad ipsam arborem, an ad folium arboris, an tantum ad hominem pium referas, parum interest. Id enim ijs significatur, fausta & felicia omnia eis evenire, qui seria vegetaque semper pietate arborem incolumem sanamque sint imitaturi. Placet nobis tam svari jucundissimorum fructuum considerationi amplius immergi: arrepta ex *S. Paulo* anla, qui eadem cum *Davide* similitudine utitur, cum *Philippenses* suos hortatur, cap. I. v. 11, ut sint:

Παρακλημένοι καρπῶν δικαιοσύνης, τῶν ἀπὸ Ἰησοῦ
 Χριστοῦ εἰς δόξαν καὶ ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ.

Quae verba consensu Ampli. Facult. Theolog. in *Academ. Rost.* exercitii publici loco, ad exhibendum quaecunque specimen Theologicum, visum fuit explicare, ex iisque sensum *Pauli* de *fructibus justitiae*, pro ingenii ac iudicii Divinitus mihi concessi modulo, luci publicae exponere. Ita quidem ut in capite primo *Sectio Exegetica*, in secundo *Deductio Practica* demonstretur. Quo vero labor hic in *Numinis Divini* gloriam, salvificae veritatis patrocinium ac studiorum meorum ulteriorem promotionem & emolumentum cedat, *Deum T.O.M.* piis precibus suppliciter veneror, ut caelesti benedictione hanc considerationem Academicam ex alto prosperè fortunet atque secundet, idque propter meritum *Salvatoris mei Jesu Christi!*

CAP,

725

CAP. I. SECTIO EXEGETICA.

§. 1.



Um itaque Deo duce Paulinum hoc dictum explicandum aggredior, ante omnia occasio erit observanda, qua adductus est Paulus, ut plenissimos hos justitiæ fructus tam sollicitè Philippensibus commendaret. Ea vero ex superioribus repetenda est. Nempe Divino actus Spiritu è Troade Philippos venerat Apostolus, eosdemque exiguo intercedente temporis spatio converterat ad fidem. Res tota Actuum XVI. Cap. enarratur. Dehinc captivus Romanus vectus Paulus magnum liberalitatis argumentum, à Philippensibus ei per Epaphroditum submissum, acceperat. Ex quo, quanta fide quantaque constantia in instituto semel suscepto perseverare velent, abunde cognovit. Metallicis urbs Philippensis potissimum celebris, teste *Diodoro Siculo*, lib. XVI. redditus annuos plusquam mille talentorum ferre potuit. Jam vero bene nummati ut plurimum auri sacra fame laborant, in quærendis ac augendis nummis per fas atque nefas occupati sunt, parum solliciti de salute ac fructu edendo bono. Ast horum è numero Philippenses non esse judicat Apostolus, siquidem eos præconio dignos mactat, quod opes, quibus ipsos ex metallicis fodinis benignissimum Numen ditaverat, illicitis mediis non accumulare studeant, sed his ministerio & inopiæ suæ aliorumque exigente necessitate prompte succurrant. Philipp. IV. 14. Ut itaque hoc præconio semper digni inveniantur, thesaurumque longe nobilio rem, Evangelii professionem, nunquam amittant, admonet illos & precatur, ut repleantur hisce aliisque fructibus magis magisque. Pro more autem suo facit Apostolus, quippe qui ubicunque plantaverat Ecclesias, nunquam intermisit pro earundem conservatione & incremento ardentissimas ad DEUM fundere preces. Id facit in Epistola ad Colossenses, I. 9. ubi, propterea, inquit, & nos, ex quo die id audivimus, non desinimus pro vobis orare & petere, ut impleamini agnitione voluntatis eius, cum omni sapientia & intelligentia Spirituali, ut adeo diligè ambuletis Domino ad omnem complacentiam, in omni bono opere fru-

A 3

dis

Edificantes & aucti, ad noticiam Dei in omni virtute confortati, secundum potentiam gloriae ejus. Id facit in I. Epist. ad Thel. III. II. Ipse vero Deus & Pater noster & Dominus Jesus Christus faciat, ut auctiores sitis & exundetis mutua inter vos charitate & in omnes, quem admodum & nos in vos, ut adeo corda vestra inculpata sint in sanctitate coram Deo. Nostro in textu dicit: Hoc oro, ut charitas vestra adhuc magis magisque exundet in cognitione & omni sensu, ut probeatis, quae discrepant, ut sitis sinceri & inoffenso cursu pergatis ad diem usque Christi, repleti fructibus justitiae, qui sunt in Christo Jesu ad gloriam & laudem Dei. Quae loca ita inter se sunt parallela, ut singula & eminentem in sanctificatione gradum, & bonorum operum, & sanctificatione promanantium, ubertatem, & fontem, ex quo illa proveniunt, & modum formamque, juxta quam fieri, & finem, ad quem tendere debent, pulcherrima ratione complectantur. Ambrosius in h. l. summam trium versuum, unam sententiam continentium, ita representat: DEO adjutore ordinem discipline Christianae vult eos imbueri, ut quia firmati in fide sunt, non sint nefarii Sacramenti credulitatis suae & scientes discernere utilia a contrariis, justitiae operibus ornent doctrinam Domini, fructum facientes immortalitatis ad abundantiam omnium bonorum, ut gloriosus in his appareat Magister Gentium. Sed verò singula nunc textus nostri voces propius nobis inspicendae sunt.

S. II. Πληθύνετε. Significat haec vox multitudinem atque exuberantiam, saltemque id, cui nihil deest. Existimant nonnulli, metaphoram à velis desumptam esse, quae plena & extensa sunt multitudine ventorum; idemque desiderari Apostolum à Philippensibus, ut pleni extensaque multitudine fructuum justitiae sint. Sed verò addita vox: καρπῶν, evidenter innuit, de arbore fructibus plena desumptam similitudinem esse, ut adeo plenum sit, quod est in omnibus partibus suis repletum, foecundissimum & fertilissimum. Quod omnia, quae excogitari possunt, bona opera habet, ut arbor, pomis ex omnibus ramis dependentibus abundans. Chrysostomus in h. l. commentatur: repleti fructibus justitiae est vitam cum dogmatibus quoque rectam habere, non simpliciter rectam sed repletam fructibus justitiae. Theophylactus item in h. l. non autem ut imperfectam virtutem aut Eleemosynam operemini, sed ut sitis repleti. Nempe loquitur hic Apostolus de summo gradu renovationis ac sanctificationis in omnibus bonis operibus. Non

928.

Non in una re bonos, in altera malos esse vult Philippenses, ne unam virtutē diligere, alteram odio habere; virtutes enim omnes cohærent tanquam annuli cærenæ; qui unum habet, omnes habeat necesse est; qui se in una re laudabilem, in altera vituperio dignum præbet, ipse conatur lucem & tenebras, Christum & Belial combinare. Quemadmodum cum de Christo dicitur Coloss. II. 9. *in ipso inhabitare totam plenitudinem Deitatis*; nihil de Deitate excipitur; quicquid intra Divinitatem virtutum & perfectionum est, comprehenditur: ita cum Philippenses pleni esse jubentur fructibus justitiæ, nihil bonorum fructuum excluditur. Patet id ex aliis quoque locis. Quod enim h. l. est repleti fructibus justitiæ, id Coloss. I. 10. est fructum ferre non in uno sed in omni bono opere; & cap. IV. 12. perfectum ac repletum esse in omni bono opere ad faciendam voluntatem DEI. Loquitur itaque de obedientia, non quæ legi tantum in uno alteroque externo satisfacit, sed de interna sanctitate & bonis operibus & omnibus generibus bonorum operum, erga DEUM & proximum. Nec verò Apostolus dicit, Philippenses jam impletos esse fructibus justitiæ, sed precatur versu 9. ut *μᾶλλον καὶ μᾶλλον*, *magis magisque* dilectant, adeoque (quod ex illo versu adhuc iterum repetendum est) illi magis magisque impleantur fructibus. Qui autem ditari amplius ampliusque debet, nondum est perfectus: quamquam ad perfectionem tendat, eamque quodammodo etiam obtinere possit. Et certe ex ipso precandi modo simul patet, non esse plane impossibile, ut hos justitiæ fructus in aliquo perfectionis gradu consequantur. Debemus enim precari in fide & ex fide, alias oratio nostra DEO non est accepta. Fides enim in orando duo comprehendit, primò promissionem Divinam, quod DEUS id velit nobis largiri, quod precamur; deinde certitudinem, quod certi simus, DEUM velle exaudire preces nostras. Utrumque possibilitatem supponit. Quinimo tentatio DEI foret, si vellemus aliquid petere, quod secundum ordinem neque ut obtineamus possibile esset, neque nobis promissum ut obtineamus. Quod verò de precibus Apostolicis vel cogitare impium esset. Vid. D. Speneri Evangel. Glättens Berechtigtheit/ Cap. IV. S. 28. pag. 342.

S. III. Sequitur vox: *καρῶν*; quam proprie de quarumlibet

bet plantarum fructu enunciari in vulgus notum est. Vid. Matthi XII. 33. Per metaphoram transfertur vel ad quamlibet utilitatem denotandum ac commodum, Rom. I. 13. vel ad effectus morales, ex causis suis tanquam fructus resultantes. Quo sensu & à Paulo hic accipi, palam est. Nec obscura ejus rei ratio est. Sicut enim fructus non ex sterilibus, sed fœcundis arboribus expectantur & colliguntur; ita quoque B. O. non ab irrigentis proveniunt, sed à justincatis, qui justitiæ *querus* & *planta* *jebove* vocitantur; ubi Esaias ait, se à Spiritu Domini missum ad concionandum miseris, *ut nominentur arbores justitiæ ac planta Domini*. Conf. etiam cap. XLVII. 12. Ezech. & cap. X. Hof. V. 1. Sicut fructus ab interna arboris anima oriuntur: ita B. O. à fide, tanquam anima justitiæ, *quæ per charitatem efficax est*; ad Gal. V. 6. Sicut fructus arboris bonitatem demonstrant & si absint, vel emortuam eam esse vel inutilem arguunt: ita *fides sine operibus extincta est*. Jac. II. 7. & per opera fidei veritas demonstratur, v. 1. Anselmus hos fructus de præmio Philippensium in cœlo accipit, sed incongruè, cum agat de hujus vitæ fructibus, per quos inculpati sint usque ad diem Jesu Christi, ut vers. antec. dicitur. Præterea solennis est hæc quasi in sacris bonorum operum nomenclatura. Vocantur enim *fructus* in Epist. ad Gal. V. 22. Et Eph. V. 9. *fructus boni*; & *fructus justitiæ*, Jac. III. 17. 18. *Fructus in sanctificationem*, Rom. VI. 22.

§. IV. Sunt autem fructus illi fructus *ἵνεκ δικαιοσύνης*, id est, *justitiæ*. Justitia secundum Scripturam duplex est, legalis, quæ legi perfecta omnibus numeris obedientia præstatur. Quam qui præstat, justus est & justitiam exercet. Et Evangelica, quæ est justitia per fidem nobis imputata, nostraque facta. Successit hæc in locum Justitiæ legalis, quia per lapsum primorum nostrorum parentum factum est, ut legi exactum obsequium præstare, adeoque ex lege justus esse nequeamus. Ut itaque alia ratione coram DEO justus redderemur, DEUS misso Filio suo effecit. *Quod enim legi impossibile erat, quippe quæ per carnem infirmata fuerat, DEUS faciebat, mittebatque, Filium in forma carnis peccato obnoxia & condemnabat peccatum in carne, per peccatum; ut adeo justitia à lege requisita non à nobis sed in nobis per Christum impleretur.* Rom. VIII. 3. 4. Lex itaque à Christo impleta justitia est, nobis imputando communicata. Unde *justitia in Christo facti* dicimur, II. ad Cor. V. 21. Cumque ex operibus

227

ribus legis non justificari possit ulla caro, Rom. III. 20. ideoque fidei in Christum hoc imposuit officium DEUS, ut per illam justificaremur, v. 22. 24. Id quod clarissime ex seqq. in textu nostro verbis patet. Addimus suffragium D. *Agid. Hunnij*, h. l. dicentis: *Bona opera dicuntur justitiæ fructus, siquidem ex fide justificante promanant, eandemque fidem fideique justitiæ antecessam declarant atque testatam faciunt. Sunt autem fructus non ejus justitiæ, quæ nititur fiducia proprie sanctitatis, sed ejus, quæ contingit per Christum, Añe Inoẽ Xc15ã.* Cum quo & faciunt D. *Bartholom. Battus*, D. *Lucas Osiander*, D. *Eilhardus Lubinus*, Doct. *Calovius*, aliique.

S. V. Intelligi vero ab Apostolo justitiæ, non quæ ex lege, sed quæ ex fide in Christum est, verba mox sequentia arguunt: *Tõv Añe Inoẽ Xc15ã.* Quemadmodum illa arbor, quæ solis æstu atque pluvia æquè abundat, multos fert fructus: ita justus, qui solis justitiæ æstu, ejusque pluvia irrigatur, multa bona opera facit. Et hoc quoniam per Christum Jesum confortatur. Si verò nostra bona opera non per fidem in Jesum Christum proveniunt, sunt mortua & carent anima. Nam domus nullum fundamentum firmum habens, sed ædificata super arenam aridam, non potest consistere; arbor carens radicibus, quos proferre fructus potest? nullos. Ita justus sine fide per Christum J. imputata nulla B. O. facere potest; quapropter Christus per Spiritum suum omnia in nobis operari debet. Est autem justitiæ per Jesum Christum & justitiæ DEI per fidem Jesu Christi, interprete Apostolo, Rom. III. 22. unum prorsus idemque. Justitiæ enim per fidem in Christum est justitiæ, quæ nostra fit per fidem in Christum, quippe qui ideo *factus est non sibi sed nobis justitiæ*, I. ad Cor. I. 30. Hæc autem justitiæ Christi, quæ primum per imputationem nostra fit, non est otiosa, sed in operalegi conformia, ex quibus & ipsa constat, propullulat. Id est, quod Apostolus alibi ait: *Fidem id est; justitiæ vel Christum ipsum, fide apprehensum, per charitatem esse efficaciter operantem.* Gal. V. 6. *Grotius* has voculas exprimit sequenti modo: *Non opera veteris legis, tanquam imperfectiora, sed nova legis, quæ sunt per Christum Jesum, novum doctorem, vetera perfectiora reddentem.* At falsa est hypothesis; lex enim perfecta est, continens regulam eorum operum & factorum, quæ DEUS ab hominibus fieri

fieri & non fieri voluit. Bona opera dicuntur fieri per Christum, quia fiunt per fidem in Christum & à Christo tanquam principio; illi enim per fidem insiti sumus. Bona opera sunt fructus, nempe quos Christus in nobis, non natura per proprias vires producit, ut Calov. h. l.

§. VI. Vox: τῶν, fructus, qui præcesserant, refert & simul verbum aliquod elliptice includit, quod plerique omnes hoc modo supplent: Qui sunt vel qui fiunt in vobis. Ita Chrysof. Luth. Beza. Fiunt autem in vobis *ἀπὸ* per Jesum Christum. Particula est, quæ cum & principalem & instrumentalem causam notare, ex usu Scripturæ apta sit, hoc loco principalem causam notat, quippe partim meritorie partim active fructus in homine bonos producentem, partim novâ formâ eosdē imbuentem, ut cum antea Deo ob imperfectionem grati esse non possent, ob perfectissimam Christi obedientiam, fidē apprehensam, eidem accepta reddantur. Nam sine fide Deo placere impossibile est. Hebr. XI. 6. Opponuntur itaque per hanc particulam B. O. ex natura facta iis, quæ ex gratia fiunt. *Videbantur sibi*, ait Theoph. h. l. *Si infideles virtutem ac elemosynam vindicare. Quam ob rem adjecit: qui sunt per Christum Jesum. Illorum enim opera non sunt secundum Christum, sed ob vanam gloriam tantum sunt & ut hominibus placeant.*

§. VII. Superfunt ultima Pauli verba, quæ finem fructuum nostrorum repræsentant, *ἵνα δοξάσῃ καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ δόξῃ, ἢ ἐν τῇ δόξῃ, in gloriam* non ipsorum, sed Dei, qui ut omnia, quæ creata sunt ac condita, propter semet ipsum creavit ac condidit, omnia creata ac condita gloriæ creatoris atque laudi inservire oportet, ut Balduinus commentatur h. in l. Luculenta sunt verba Pauli ad Eph. IV. 5. 6. *Deus prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Jesum Christum in sese; juxta beneplacitum voluntatis suæ, ut lauderetur gloria gratiæ suæ, quâ charos nos reddidit per illum dilectum.* Quicumque aliud quid respicit, e. g. proprium commodum, honorem, gloriam ac laudem, ipse maculat omnia optima opera, quoniam *Φιλαυσία* similis vermi in pomo formoso, licet pomum sit formosissimum in & per se, attamen à verme corrumpitur: ita omnia opera, optima licet sint, *Φιλαυσία* corrumpit. Licet homo omnes facultates suas in alimoniam pauperum impendat, etsi tradat corpus suum, ut combureretur; imò si eo pervenerit, ut oculis suis vidisset in claritate Deum, non ve-

ro quæreret gloriam ac laudem Dei, sed sui ipsius; omnia frustra essent. Finis enim omnium nostrorum operum est laus & gloria Dei; quam ob rem omnia facta fieri debent in Divini nominis gloriam. Ad hoc admonet nos ipsa veritas Christus, Matth. V. 16. dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra B. O. & glorificent Patrem vestrum, qui est in caelis.* Petrus hunc locum insigniter nobis illustrat, I. Ep. II. 12. dicens: *conversionem vestram habete honestam inter gentes, ut qui in hoc, quod obreclant vobis, ut facinorosis. ex bonis operibus, quæ spectarint, glorificent Deum in die visitationis.* Ut hæc dilucidiora fiant, singulæ voces separatim consideranda sunt.

§. IIX. Hæc vero quamquam sint ipsa luce meridiana clariores, tamen caliginem adfundere iis *Per. Lombardus*, sententiarum celeberrimus Magister, non dubitavit, cum *ἰδὲ in gloriam*, scripsit idem esse ac ad gloriam vitæ æternæ nobis comparandam; & *ἰδὲ in honorem Dei*, ad honorem Dei celebrandum. At cui cerebrina hæc glossa unquam venerit, cum verba legit, in mentem? Vox æquidem *δόξα* gloriæ frequenter tribuitur, quæ olim vel corpora nostra vel animas vel totum compositum ornabit; sed ea quando intelligatur, cujuslibet loci primus statim intuitus docet. Hic autem quam primum verba leguntur, illico animadvertitur, per *ἐν ἡμῶν* duo ista vocabula, *δόξαν καὶ ἔτιμον*, gloriam & honorem conjungi & genitivum consequentem *ἑἰς Θεόν, Dei*, ab utroque æqualiter regi. Est autem gloria opinio præclara de alicujus sapientia & virtute; adeoque h. l. gloriam Dei T. O. M. dicere possumus esse opinionem de omnipotentia, sapientia, cæterisque attributis Divinis. *ἔτιμον* vero exprimit laudis significationem, cum in sermone nostro honorificam alicujus facimus mentionem. Ut adeo id velit Apostolus; quicquid benè atque præclare virtute justitiæ Christi, ipsis communicatæ, acturi sint Philippenses, id cedere debere non in ipsorum propriam sed DEI gloriam. Bene nempe agendo agnoscere debent, nihil boni à se ipsis esse, omnia à DEO, qui nos creavit & bene agendi viribus instruxit; cumque easdem peccando amississemus, per Christum restituit, & Spiritus Sancti gratia illas iterum nobis concessit. Æquum ergo esse, ut Divinam immensam bonitatem, ut tantum

B₂ Christi

Christi & Spiritus Sancti beneficium gratō pectore semper celebremus. Deniqve Dei vocem essentialiter hic accipi pro uno vero DEO, in tribus personis subsistente, ut adeo bene operando gloriam bonitatis in DEO Patre, meriti in Filio & gratiæ in Spiritu S. respicere debeamus, extra dubium positum est, præitque sua interpretatione alibi Apostolus, cum inquit: *Omnia quæcūq; facitis, sive verbis, sive operibus, in nomine Jesu facite, gratias agentes DEO Patri per ipsum.* Col. III. 17.

CAP. II. SECTIO PRACTICA.

Absoluta verborum exegesi recto nunc pede ad doctrinam de bonorum operum studio, in his verbis latentem, progredimur, totius articuli œconomiam, per breves tantum aphorismos, disputandi nobis materiam præbituros, ne in vastum totius hujus argumenti mare immergamur, delineaturi. Sit itaqve

THES. I.

*Bona opera sunt actiones Divinitus mandata, legiq;
Dei conformes.*

Sunt enim fructus justitiæ. Justitia autem est impletio legis. Quod Christus ad Johannem dixit: *Ita nos decet omnem justitiam implere,* Matth. III. 15, id alibi ita explicavit: *non veni, legem & prophetas solvere, sed adimplere,* Matth. V. 17. Ergo justitia Christi est legis impletio. Cum verò bona nostra opera fructus, sint justitiæ Christi, quæ in nobis est per impurationem, fieri nequit, quin & ipsa sint actiones mandata à DEO, legiqve Divinæ conformes, Qvalis enim arbor est, tales sunt & fructus & qvalis effectus est, talis est & causa. Immotæ est regula, quam secutus est Christus, quam sequi & nos, si surculi de ipso, tanquam arbore & stipite nostro, esse volumus, debemus: *Nihil addatis ad id, quod vobis præcipio, nihil detrahatis. Tantum custodite mandata Domini Dei vestri, quæ vobis præcipio.* Deut. IV. 2. Errant itaqve Romani, qui & electos ex propria voluntate cultus in censum bonorum operum recipiunt. Contra quos argumentamur: quicquid non est fructus justitiæ, ad legem Divinam exacta, id non est bonum opus. Atque cultus sua sponte suoqve arbitratu electi non sunt tales fructus, Ergo;

THES

THES. II.

Bona opera sunt actiones, non tantum à DEO Trinuno mandata, sed ab eodem etiam, tanquam à primaria causa, effecta.

Sunt enim fructus iustitiæ, qui fiunt in nobis per Jesum Christum; Ergo Christus, qui per iustitiam suam in nobis habitat, hos fructus efficit, id est, bonorum operum autor est. Sunt enim effici & efficere relata. At nominato in exteriori actione Christo, ceteræ personæ Divinæ simul intelliguntur, servato tamen cuilibet suo ordine. Quia opera Divinitatis ad extra sunt indivisa. Pater efficit volendo & procurando; Filius purificando & promerendo; Spiritus Sanctus vires largiendo & sanctificando. Quamquam hæc singula non sint exclusivè intelligenda sed appropriativè. *Omnis bona datio & omne donum perfectum* (quale cum primis bonum opus est) *descendit à patre luminum* (sunt autem omnes tres Personæ auctores luminis, cum materialis tum spiritualis) *apud quem non est vicissitudo.* Jac. I. 17. Errant itaque Sociniani, qui Servatori Christo h. non plus quam doctoris officium relinquunt. Jo. Crullius ad verba: *qui sunt per Jesum Christum*, notat: *hoc est ex prescripto Christo.* Cur ergo non pari ratione dixit Apostolus: *pleni fructuum iustitiæ, qui fiunt in vobis per Moysen?* Nam & Moyses agenda fugiendaque præscripsit.

THES. III.

Bona opera sunt actiones, ab homine, tanquam causa secundaria, per gratiam, eidem in justificatione collatam, effecta.

Sunt enim fructus, quibus renati sunt repleti, ceu arbores pomis onusta. At fructus ab arbore pro generantur per succum, arbori coelitus concessum. Dependet nempe hæc causa efficiens secundaria à primaria, ut nullum opus bonum absque ea inchoari aut perfici possit. Opera enim à Deo in nobis inchoantur, ab ipso quoque perficiuntur, ita tamen, ut Spiritus S. gratia sua superveniente nobis largiatur vires novas, ut velimus ac possimus simul cum ipso bene operari, & gratia subsequente efficit, ut rei ipsa bene operemur. Vires verò, ex quibus agit homo opus bonum, non sunt à se ipso, quia mens hominis naturam ignorantiam tenebris est obsita, voluntas in malis penitus obfirmata, affectus tanquam equi indomiti feruntur, totus denique homo in peccatis mortuus est, ad Tit. III; Rom. I. 21. Rom. II. 5. Ast vires, per quas homo agit bona opera, sunt à Christo,

B s

in

in hominē per justitiam suam inhabitante; *Act. I. 17. 18.* ut Paulus ait. Hæ vires ad perficienda B. O. maxime sunt necessariae, sine iis voluntas humana inter causas boni operis seu actionis haud numerari potest. Errant itaq; Pontificii, hominem *ψυχῶν*, suo arbitrio propriisq; viribus hæc peragere posse docentes; si quidem opera, quantumvis optima, si non à Spiritu Summi Numinis proficiuntur, non sunt bona, Deoq; minime grata, quia non sunt filiorum opera, sed fervorum, h. e. non ex libero oriuntur Spiritu, sed servili timore fiunt, tantum ad evitandas poenas; filii autem Dei aguntur Spiritu Dei, proinde non propriis viribus attribuunt, quicquid bene operantur, sed Jesu Christo, per justitiam in ipsis habitanti. *B. Leon. Hutterus, Loco XIV. p. 862.* quoad mores, inquit, externos aliquomodo regi potest humana diligentia & virium propriarum facultate, id quod illustra gentium, *Aristidis, Scipionis, Camilli & similia* evincunt exempla, sed interiorē cordis obedientiam, qualem requirit lex, *Rom. VII. 22.* & cuius finis est charitas, *I. ad Tim. I. 9.* homo propriis viribus non tantum non perficere, sed ne inchoare quidem potest, sine illustratione, que fit per doctrinam Evangelii, virtute Spiritus Sancti. Homo autem renatus ducitur Spiritu Dei ejusque instinctu, ipse quoque sciens ac volens pie vivit, *Rom. VII. 15.* Hæc vero opera versantur circa omnia, quæ justitia sunt, nempe omnes actiones tam internas quam externas renatorum; justitia enim unio continet omnes virtutes.

THES. IV.

Bona opera sunt actiones, per fidem tanquam instrumentum, gratiam Divinam apprehendens, effectivæ.

Nempe non sufficit, opera è Deo mandari, neque ab illo eadem intra constitutum à se ordinem, quantum in se est, effici, nec gratiam Divinam homini, ut & ipse operari possit, communicari, sed necesse est, ut gratia, illa, quæ à multis repellitur, per fidem ab homine apprehendatur, propriaque sibi reddatur. Tum verò fides, gratiâ Divinâ potentissimâ efficacissimâque quasi imprægnata, vivum redditur organon, bona opera, tanquam saluberrimos fructus, protrudendi. Diserte Apostolus: *fructus justitiæ, qui sunt per Jesum Christum in nobis*, intellige, ut supra ostendimus, *fide apprehensum*. Id enim nisi accedat, omnis operatio Christi successu destituitur. Rectè Apologia Aug. Conf. ait: *quia fides offert Spiritum S. & parit novam vitam in Cordibus, necesse est*

est, ut pariat Spirituales motus in cordibus. porro pag. 85. exm. adl. go Evangelio & remissione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum S. ut recte de Deo sentire possimus & timere Deum & credere ei. Errant itaque Antinomi, qui fidem ab operibus ita separant, ut hæc ab illa abesse utique posse defendant.

THES. V.

Bona opera sunt actiones, per fidem ultimo verè bona reddita.

Non fecunda mater tantum bonorum operum est fides, sed eorundem etiam anima seu forma. Cur enim opera justitiæ à Paulo commendantur, non ea, quæ & in quantum ex lege progrediuntur, sed quæ per Jesum Christum fiunt in gloriam Dei, nisi quia opera, quantumlibet cum lege aliquam conformitatem habent, Deo tamen extra Christum, fide apprehensum, ob imperfectionem, conformitati isti adhaerentem, grata non sunt. Fides itaque illa pulchra species & forma est, quæ cum in operibus bonis deprehenditur, Deum in amorem sui rapit. Quippe fides ubi ob infirmitatem carnis nostræ legem implere non valeamus atque adeo ob nãvos, voluntati implendi adhaerentes, Deo placere non possumus, perfectissima Christi obedientia, quam sibi appropriat, nostros defectus supplet. Nullus enim homo ab adhaerentibus pravæ concupiscentiæ sordibus, peccatisque reliquis penitus liber est, plerisque, dum bene operantur, spiritualis superbia & foetidus amor sui ipsius adhaeret, multi sunt etiam in optimo opere defectus, Deo fastidium parientes: his fides medetur, quæ facit, ut non solum persona sed opera personæ Deo reconciliata; placeant. Per fidem non tantum certi reddimur de operibus nostris, quod cum voluntate Divina qualitercunque conveniant, in quantum fides notitia & assensus est, sed etiam perfectionem Christi apprehendimus, atque imperfectionem operum nostrorum obtegimus, in quantum fides est fiducia. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. XI. 6. Errant itaque Pontifici & Arminiani, qui etiam in fidelium opera verè bona esse contendunt.

THES. VI.

Bona opera sunt actiones, ad De: gloriam, tanquam finem ultimum & primum, directa.

Id totidem verbis enunciat textus Paulinus, duplicique repetitione confirmat. Ergo quæcunque opera, etiam per se bona &

& à Deo præcepta, non fiunt, debito fine, in gloriam Dei, per accidens fiunt peccata; actiones enim finibus judicantur, ait. p. m. D. Dieter. pag. 285. Graviter Servator noster ad discipulos suos: *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra opera & glorificent Deum Patrem, qui est in cælis* Matth. V. 16. Errant itaque Gentiles & Christiani hypocritæ, qui bene & præclare agendo sui potius nominis immortalitati, quam Divino honori consilere adlaborant.

THES. VII.

Bona opera sunt actiones, ad demonstrandam fidem, tanquam finem immediatum & secundarium, directæ.

Sunt enim fructus justitiæ, per fidem apprehensæ. Fructus autem de arbore, deq; ejus bonitate & qualitate testantur. Deum timendo, amando, invocando & confidendo, eundem laudando demonstramus, fide nos Deo totos inniti. Proximum diligendo, eundem variis officiis prosequendo, sobriè & castè vivendo, ostendimus, fide nos Deum amplecti, atque ideo mandatis ejus obsequium præstare velle. *Si frater & soror nudi sint & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: ite in pace, calestamini ac saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est & in semet ipsa. Sed dicit quis: tu fidem habes & ego opera habeo; ostende mihi fidem tuam sine operibus & ego tibi ostendam ex operibus fidem meam.* Jac. II. 15. 16. 17. 18. Errant itaque Pontificii, qui finem bonorum operum faciunt ipsam salutem, quam illa meritorie procurent. Fructus enim arboris salutem & incolumitatem neque efficiunt, neque conservant, sed tantum demonstrant.

THES. VIII.

Bona opera sunt actiones, homini plane necessaria.

Sunt enim fructus justitiæ. Fructus autem sunt effectus arboris. Et positâ causâ ponitur effectus. Quam itaque necessarius est effectus causæ (est autem ita necessarius, ut sine eo causa non possit esse causa) tam necessaria sunt bona opera justitiæ & fidei, quarum illa bona opera, ut causa principalis, hæc, ut organica, producit. Præterea rogat Deum Apostolus, ut Philippenles impleat his bonorum operum fructibus. Id autem non faceret, nisi necessarios eos Philippenlibus esse sciret. *Dei factura sumus, creati in Christo*

Christo Jesu ad bona opera, ad qua preparavit nos Deus, ut in eis ambularemus. Eph. II. 10. Quare Augustana Confessio art. VI. docent, inquit, Ecclesie nostra, quod fides illa debeat honos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata à Deo facere. Calumniantur itaque Romanenses, dicentes, bona opera à Lutheranis prohiberi. Videatur Artic. XX. A. C. & qui ea de re professio egit studio. Doct. Sebast. Schmidius libro, quem inscripsit: Lutherische Frömmigkeit oder Tractat von denen guten Wercken.

Thes. IX.

Bona opera neque promerentur salutem, neque efficiunt salutem, neque via & medium sunt ad salutem, neque conditio sunt salutis, neque ordinem habent ad salutem, neque necessaria, sunt ad salutem.

Fructus non promerentur neque efficiunt arboris incolumitatem, sed ex eadem tanquam effectus, incolumitate posteriores promerentur. Fructus non sunt via & medium ad procurandam arboris salutem, neque etiam conditio, qua posita sana reddatur arbor. Fructus non habent ordinem ad arboris incolumitatem, sive presentem sive futuram, autem denter producendam. Neque necessarii sunt ad salutem arboris, cum jam incolumis & incolumis sit arbor, imò nisi antea incolumis esset arbor, fructus producere non posset. Ita & prorsus bona opera. Nihil illa agunt, nisi quod vitam fidei demonstrant, sicut fructus ostendunt, arborem bonam & vividam esse: & laudem creatoris sui celebrant, sicut fructus arboris hortulani diligentiam, qui ad fructus tam pulchros suâ curâ eandem idoneam fecit, commendant. Si ad quidquam aliud conducerent bona opera, id exprimeret in loco, ubi ea de re datâ operâ agit Paulus, non omisisset. Nec enim æquum erat effectum ignobiliorem nominari, reticere nobiliorem. Arbitramur hominem justificari fide sine operibus legis. Rom. III. 28. Secundum misericordiam suam Deus nos salvos fecit, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus. Tit. III. 5. Errant itaque ex Pontificiis, Calvinianis, Arminianis, Socinianis, aliisque qui aliquid horum afferunt, sive in ordine ad justificationem, sive in ordine ad salutem.

THES. X.

Bona opera in hac vita non sunt omnibus numeris perfecta. Sunt enim fructus facti in fide perfectæ obedientiæ Christi. Si

C

verò

Verò homo post lapsum, etiam præstito pro se merito Christi
 ejusque virtute legem implere potuisset, non opus fuisset fide,
 perfectam Christi obedientiam loco imperfectæ impletionis ap-
 prehendente. Cur enim ad aliam obedientiam recurreret, si
 obedire ipse perfecte posset? Jam verò fides in hunc ipsum lo-
 cum successit, ut, quod legi deerat, quandoquidem per infirmi-
 tatem carnis attenuata fuerat, appropriata sibi impletione, per
 Christum præstita, suppleret, *ut justitia à lege requisita in nobis im-
 pleretur*, cum à nobis impleri non posset, Rom. VIII. 3. 4. Recte
 Apologia August. Confess. de dilectione & impletione legis pag.
 87. *Prædicant se legem implere, cum hæc gloria propriè debeat Christò;
 & fiduciam propriorum operum opponunt justitiæ Dei. Dicunt enim
 de condigno se mereri gratiam & vitam æternam. Hæc est simpliciter
 impia & vana fiducia. Nam in hac vitæ non possumus legi satisfacere,
 quia natura carnalis non desinit malos affectus parere, et sic resistit
 Spiritus in nobis. Errant itaque rursus Romani, Sociniani, Armi-
 niani, Weigeliani, qui regnitorum operum perfecte bona esse, iis-
 que legem impleri contendunt.*

THES. XI.

*Bona opera in hac vitæ ad qualemcunque perfectionis
 gradum ascendere possunt.*

Possunt enim renati esse *πῶς πληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης*, pleni
 fructuum justitiæ. Quod autem plenum est, id eatenus, quia plenum
 est, perfectum est. Quemadmodum *χαρῆς πῶς πληρωμένη*, gaudium
 plenum est gaudium perfectum. I. Joh. I. 4. Et mensura plena est men-
 sura, cui nihil deest, h. e. perfecta. Sunt itaq; pleni fructuum justiti-
 æ, qui ad perfectionis gradum in operatione bonorum operum
 pervenerunt. Sicut perfecta est arbor, quæ plena fructibus turget.
 Cumque tripliciter perfectio illa seu plenitudo respici possit; ra-
 tione extensionis, quoad fructuum multitudinem, ratione inten-
 sionis, quoad eorundem bonitatem & virtutem; & ratione pro-
 tensionis, quoad fructuum durationem & perseverantiam: in o-
 mni illa latitudine Paulus bonorum operum plenitudinem re-
 quirir, ut nempe abundant omnibus bonis operibus, omni-
 que eo, quod fructuum spiritualium nomine venit, sicut nempe ar-
 bor fructuum multitudine superbit: ut bonorum operum stu-
 dium

dium non ad affectuum fastidium & exteriorum facinorum cohibi-
tionem, quod & Gentiles & Pharisei fecerunt, sed ad interiorum
etiam motuum alacritatem & animi in emendatione sui vim &
vigorem extendant. Sunt enim fructus iustitiæ ejus, quæ est per
Christum Jesum, adeoque per virtutem longe majorem, quam
qualis per naturam Gentilibus obtigit. Ut denique sanctitati illi
sine ullâ interruptione ad finem usque vitæ sedulam operam
impendant, quippe per quam inculpati sint ad diem usque Chri-
sti. Dico autem, posse bona opera adscendere ad perfectionem
qualemcunque. Est enim perfectio operum, vel absoluta, cui ni-
hil omnino deest, quando secundum legis rigorem conide-
rantur; quo pacto nulla bona opera perfecta esse superiori
thesi ostendimus: vel secundum quid, statui nempe & condi-
tioni corruptæ nostræ naturæ conveniens, ultra quam in hac
vita plenior non detur. Priori modo negat Paulus perfectum
se esse, Philip. III. 12. Posteriori modo affirmat, cap. III. 15. Quæ
enim hæc esset gratia Divina, quæ homini regenito ne quidem
tantum virium tribueret, ut à voluntario peccato sibi per omnem
vitam temperare posset? Id enim nisi posset, nunquam de sa-
lute futura certus esse posset. At verò Deus non velle tantum dat,
sed & perficere secundum voluntatem suam, Cap. II. 13. modo Deo o-
peranti homo non resistat. Et pax Divina, cordibus ipsorum
per Christum inhabitantem insita, custodit eos in Christo Jesu, con-
tra omnia scilicet peccata, pacem illam turbantia; Cap. IV. 7.
Concludo verbis Maximè Rev. Dn. Doct. Schomeri, Disp. II. Mo-
ral. S. 13. *Quamquam*, inquit, *contra gloriaciones Pharisæicas do-*
cemur, legem à nobis perfecte impleri non posse, doceri tamen etiam
contra carnalem securitatem oportet, quod implere illam aliqua ratio-
ne possimus. Et sicut illa propositio in Theologia Polemica frequens est:
ita hanc in Morali non minus sedulo proponendam esse, celeberrimus
Chevnitius quondam judicavit. Cujus allegatis verbis subjicit: Uti-
nam hæc omnes Catecheta & concionatores probe observarent, cum in
hoc argumento occupantur. Errant itaque Epicuræi, qui dum à gra-
vioribus abstinent criminibus, reliqua omnia Divinæ legis præ-
cepta communi humanitatis ratione, viriumque à divinis excu-
lant atque declinant,


EPILO-


EPILOGUS.

Quamobrem si cum Philippenſibus Sanctorum nomen tu-
eri volumus, noſtrarum partium eſſe ducamus, ut non nudum
tantummodo titulum geramus, ſed omine impleamus. Sicut
arbor non ſolum delectat oculos foliis ac ramis, ſed fructibus
potius ſuis: ita & nos non ſpecioſâ tantum externorum operum
pompâ Chriſtianum nomen oſtentemus, ſed fructibus Chriſtia-
no homine dignis, non ſimulatis, ſed veris bonisque. Id re-
quirit vitis noſtra, Chriſtus Jeſus, cui inſiti ſumus per fidem.
Illa quia bona eſt, meritò palmites boni ſint, fructumque bo-
num ferant. Revocemus in animum gravem Johannis commi-
nationem, dicentis Matth. III. 10. *Securis jam ad radicem arborum
poſita eſt, omnia arbor non faciens fructum bonum exciditur & in ignem
conjicitur.* Denique ſi tanta nos argumenta haud moveant, glo-
ria creatoris Patrisque noſtri, qui in coelis eſt, excitemur, qui in
hunc nos finem creavit, ut fructuum noſtrorum ubertas nomi-
ni ſuo, ſanctiſſimo adferat honorem, gloriam atque laudem.
Egò vero cum Apoſtolo genua mea ſelecto coram Patre Domini
Noſtri Jeſu Chriſti, precorque, ut charitas omnesque virtutes in
nobis magis magisque exuberent, in agnitione omniſque intel-
ligentia, ut probemus, quæ ſint præſtantia, ſimusque ſinceri ac
tales, ut nemini ſimus offendiculo, in diem Chriſti, ut implea-
mur fructibus juſtitia, qui contingunt per Te, ô Domine Jeſu,
ad gloriam & laudem DEI. Tibique, Benigniſſime Jeſu, DEI ac
Mariæ filio, cum Patre ac Spiritu S. coæterno, Salvatori mundi
unico, Autori & Conſummatori æternæ noſtræ ſalutis glorio-
ſiſſimo. Tibi ſit laus, honor & gloria
in ſempiterna ſecula!

AMEN.







dium non ad affectum tantum & exterioru
 tionem, quod & Gentiles & Pharisei fecerunt
 etiam motum alacritatem & animi in eme
 vigorem extendant. Sunt enim fructus iusti
 Christum Jesum, adeoque per virtutem lon
 gualis per naturam Gentilibus obtigit. Ut
 sine ulla interruptione ad finem usque vi
 impendant, quippe per quam inculpati sint
 sti. Dico autem, posse bona opera adscend
 qualemcunque. Est enim perfectio operum
 hil omnino deest, quando secundum legi
 rantur; quo pacto nulla bona opera pe
 thesi ostendimus: vel secundum quid, Ita
 tioni corruptæ nostræ naturæ conveniens
 vita plenior non detur. Priori modo neg
 se esse, Philip. III. 12. Posteriori modo affirm
 enim hæc esset gratia Divina, quæ homini
 tantum virium tribueret, ut à voluntario pec
 vitam temperare posset? Id enim nisi possi
 lute futura certus esse posset. At verò Deu
 sed & perficere secundum voluntatem suam, Cap
 peranti homo non resistat. Et pax Divina
 per Christum inhabitantem insita, custodit e
 tra omnia scilicet peccata, pacem illam tu
 Concludo verbis Maximè Rev. Dn. Doct. Sc
 ral. S. 18. *Quamquam*, inquit, *contra gloriat*
eamur, legem à nobis perfecte impleri non posse
contra carnalem securitatem oportet, quod impl
ne possimus. Et sicut illa propositio in Theologia
ita hanc in Morali non minus sedulo proponenda
Chevnitius quondam iudicavit. Cujus allegati
nam hæc omnes Catechete & Concionatores prob
hoc argumento occupantur. Errant itaque Epic
rioribus abstinent criminibus, reliqua omni
cepta communi humanitatis ratione, virium
lant atque declinant,

cohibi
 tionum
 vim &
 est per
 quam
 itati illi
 peram
 e Chri
 tionem
 cui ni
 a. ide
 periori
 condi
 in hac
 lectum
 . Quæ
 videm
 mnem
 de sa
 um dat,
 Deo o
 forum
 su, con
 . IV. 7.
 II. MO.
 cas do
 etiam
 a ratio
 mens est:
 rrimus
 it: Uti
 cum in
 à gra
 is præ
 excu
 PILO-

